

XLIV. Secunda verò est vena basilica, si adest plethora totius, vel jecoraria in dextro cubito, quæ maximè ex ipso fonte humidum haurit: detrahendusque sanguis admodùm parcè, si verò menses suppressi originem dederint morbo, commodè educitur ex saphena, ut uterus officii sui admoneatur: rectè enim ait Hippocrates *6. Epid. s. 1. t. 6.* muliebria aquâ laborantibus diu persistere, & cum non celeriter fluant, intumescere; quam sententiam Galenus *in comm. & ad consulendum*, & ad curandum pertinere ait, observavitque Eustach. Rudius *l. 2. p. max.* mulierem hypofarca laborantem, ex menstrua, eaq; copiosa purgatione suborta, statim ab omni tumore fuisse liberatam, & cum non multo post rursus intumisset, mensibus fluentibus iterum fuisse liberatam, & sic per plures vices factum, donec jecore roborato, & facta aliqua per alvum derivatione, tumor sensim delituerit. Idem & de hæmorrhoidibus suppressis judicandum.

XLV. SCARIFICATIO celebre fuit remedium apud Veteres, qui scalpello crura profundè incidentes aquam educabant, & hanc scarificationem tertio die noviter incisus vulneribus repetebant. Quod præsidium etsi ab Archigene, ut refert Galenus *9. de comp. med. secundum loca c. 3.* & inter recentiores à Mercuriali, *tom. 4. consult. 36.* in Anasarca commendetur, & summa cum fiducia administrari posse doceatur: tamen, cum semper ferè aquâ ad illas partes caloris penuriâ laborantes, affluente dolores & gangrænæ sequantur; illam nunquam administrandam putamus: Cum etiam Massarias testetur, se longâ experientiâ & observatione, ex crurum scarificatione nullam unquam utilitatem vidisse.

XLVI. Ut autem Massarias scarificationem crurum suspectam habet, ita scroti punctiorem magis laudat, tanquam commodissimam materiæ evacuandæ, dignissimamque quæ in usum revocetur, cum non tantum facilè admodùm & sine ulla molestia, sed & sine periculo, & cum summo emolumento possit administrari. Nam unico solum vulnere satis amplo imposita cannula argentea, aqua mirabiliter effluit, & hac ipsâ cui-

dam Mer-